





*DISPUTATIO PNEVMATICO-PHYSICA,
QVA
VERITAS COMMUNIS ASSERTI:
QVO*

A N I M A
DICITUR ESSE TOTA IN
TOTO CORPORE, ET TOTA
IN QVALIBET PARTE CORPO-
RIS, ECLECTICE EXPENDITUR.

ET
SUB PRÆSIDIO
DN. M. HENR. LUDOVICI
WERNHERI,

SS. Theol. Baccalaurei, & Facult. Philo-
soph. Affectioris,

IN CELEBERRIMA LIPSIENSIA ACADEMIA,

Die XV. Maji, A. O. R. MDCCVI.

Publico Examini sstitutur

AB AUCT. ET RESPONDENTE

JOHANNE GOTTLÖB PETRI,

Gubena-Lusat. SS. Theol. Stud.

L I P S I Å,
Literis VIDUÆ BRANDENBURGERL

DYSPUTA TOTI NAM TECO RITZON
ARITATIS

A M I A
D E G I U R E S E I
T O T T O R E . E T T O T O R E .
N O A H E I T P A R T I C O R E .

D Y M H E I T H O N I C

S S T I F F O R T R E C S A P A X S I C C E P H I D

A N A O S E K C E S A P A X S I C C E P H I D

A N A O S E K C E S A P A X S I C C E P H I D

A N A O S E K C E S A P A X S I C C E P H I D

A N A O S E K C E S A P A X S I C C E P H I D



I. N. f.

S. I.

Non de Anima generaliter quacunquè, sed specialius humana in præsenti disquiritur. Quare ut planius omnia evadant, & inani vocum litigio ansa præcidatur, definitio, ex monitu *Tullii*, in limine statim tradenda. Est autem Anima, si pressius hanc vocem sumas, *substantia spiritualis*, que cum corpore organico intime unita est; in illo efficacissime operatur, & cum eodem individuum humanum constituit. Quam definitionem paulo distinditus exponemus, idque ad faciliorem suscepτæ disputationis intellectum haud parum conferet. Generis loco ponitur *substantia spiritualis*; siquidem utramque cum substantialitatem, tum spiritualitatem sibi jure anima vindicat, & illam quidem cum Entibus per le substantibus, hanc vero cum spiritibus completis, Deo & Angelis, communem habet. Existit equidem Anima in corpore, sed non tanquam accidens in suo subiecto, sed ut forma intime subiectum permeans & perficiens: unde corpus subiectum non inhaestis, sed informationis vulgo dicitur. Conf. *Honor. Fabri Tract. de Hom. L. VII. Prop. XLI.* Et sane qui ad accidentium classem animam relegant, non multum ab corum insanis absunt, qui vel ipsam existentiam animæ in dubium impudenter vocant, immo præfate negant. Cujus furfuris pristinis temporibus erat, teste *Cit. L. I. Tuscul. Quest. Num. 21. Pheneerates quidam, perficitur*

frontis nugator, audacter clamitans: *Nihil esse omnino animum, & hoc esse nomen totum inane, frustraq; & animalia & animantis appellari, neg; in homine esse animum seu animam, neg; in bestia, neg, a corpore esse separabilem, quippe qua nulla sit.* Proh nefanda impudentissimi Scurrae dicta! dignus sane, qui sorti humanae exemptus, & rationali, quam stolidae negabat, anima privatus, ad brutorum, quid? cum ne vitam quidem in hisce animalem admitteret, ad lignorum lapidumque formam conditionemque deprimeretur, promeritasque insaniae poenas lueret.

§. II.

Spiritualem vero & immaterialem esse animae rationalis substantiam, nulli non, qui singulas ejus functiones rite expendit, liquere potest. Quod enim formas rerum nulli sensui pervias, nullo phantasmate expressas, tam feliciter arripit, tam acute discernit & dijudicat: quod divisa tam scite conjungit, conjuncta tam caute dividit: quod celerrimo & pene incomprehensibili motu hinc inde fertur: quod in se ipsum fecedit, super rebus ab omni materia secretis reflectit, unum ex altero colligit, causas, principia & affectiones rerum expendit: quod universalissima & amplissima quæque cogitando occupat: quod, pro mira capacitate sua, nunquam oppletur, nunquam exundat, quantumvis innumeris sinu suo complectatur: quod divina & coelestia appetit: quod tanto virtutis studio ducitur: quod bonarum actionum conscientia latatur, malarum contristatur &c. haec omnia satis superque vim animae spiritalem ac incorpoream, omni materia, licet tenuissima, sublimiorem, arguunt. Fusius ea deducta legas apud *Io. Bapt. du Hamelde Mente Hum. L. IV. c. III.* Sicut igitur spiritualitas animae in aprico est, tantoque minus, si vel maxime cætera non essent, in dubium vocanda, quod eandem *S. Codex* diceret passim prædicet: Ita in animalium genere soli homini haec insignis prærogativa debetur, quod corpus cum forma immateriali, nobilissimo spiritu, essentialiter unitum gestet. Evidem haud ignoro, *Mart. Schookium*, quocum & alii faciunt, *Phys. Gen. p. 109.* expressis verbis docere: Brutorum quoque animam spiri-

tua.

tualem esse. Sed rationes, quas afferit, nequicquam nos movent. In quatuor autem classes *Schoockius* distinguit Spiritus. In prima constituit Deum, Spiritum eminentissimum, & plane independentem. In secunda Angelos, spiritus independentes quidem a materia atque subiecto, non tamen causaliter, quippe originem a Deo, cœu causa prima, ducentes. In tertia locat animam rationalem, quæ licet Spiritus independens sit quoad suum existere amateria, non tamen independens sit ab illa quoad omnes suas operationes. Ad quartam denique classem reducit animam brutorum, quæ secundum existentiam non minus quam operationes a materia dependeat. *Quid enim*, inquit, *obstat, quo minus admittatur quævis ordinis spiritus, tam secundum suum existere, tum secundum omnes suas operationes dependens a corpore sive materia.* Velim hic probari repugnantiam seu contradictionem a parte illius substantia, quæ censetur spiritus, & manus dabo. *Enim vero satis manifesta* hic datur repugnancia. Spiritum enim dici, id est, substantiam immateriale sive incorpoream, & tamen quoad esse & operari a materia sive corpore dependere, aperte, nō omnia me fallunt, implicat. *Quid enim* aliud est a materia quoad suam existentiam dependere, quam de materia participare, eandemque partem sui constitutivam agnoscere, seu quod idem, corporeum ac materiale esse. Triplicem alias Metaphysici faciunt dependentiam, unam infieri vocant, seu effectivam; cum quid ab alio cœu causa efficiente ortum habet: alteram in esse s. existere; cum quid a principiis internis, materia & forma, pendet: tertiam dicunt in operari; cum quid in agendo ab altero dependet, ejusdemque in producendo aliquo effectu, vel ut auctoris, vel ut instrumenti, indiget. Vid. *Donat. Metaph. Usual.* c. XII. Quod si igitur anima brutorum quoad esse sive existere suum dependet a materia, materia ad ejus essentiam utique spectabit, principiumq; internum constituet, ac adeo & ipsam materialē esse oportebit. Nec video, quæ nos necessitas cogat, cur ad hoc extreum delabi, & spiritualem in bestiis animam statuere velimus. Frustra objicitur: Materiam, cum sit moles rufis ac

mortua, omnis vita, motus sensusque expers, corpus movere, animare, & ad sensationem aptum reddere non posse? Neque enim massa crassior id praestare supponitur, sed subtilissima & tenuissima quædam materia, cui vitam & motum Deus in creatione primitus impressit, per generationem postea in individuis continuatum, & adhucdum, ob benedictionem divinam vim suam exercentem. Sic vero, inquis, admissa in brutis forma corpore, unum corpus penetrabit alterum, penetratio autem talismodi absurdissima semper sanioribus Philosophis visa? Distinguendum inter penetrationem, quæ cum destructione, & substantiali unius corporis in aliud transmutatione est conjuncta, & eam, quæ aliud corpus duntaxat pervadit, permeat, informat: illa, non hæc, improbatur. Neque enim insoliti quiddam est, corpus aliquod crassius a subtiliori ~~περιχωρησιν~~, citra ullam commixtionem & conversionem, penetrari; quod vel in solo ferro ignito evidenter conspicitur. Et quæ tandem non paradoxa ex hac de spiritualitate animarum in brutis hypothesi fluunt. Sit talis anima spiritualis, sit immaterialis, sic vero & rationalis & immaterialis erit? Nulla sequela! Imo vero, quidni spiritus, substantia purissima, in se reflectere, id est, ratiocinari & cogitare possit? obstat voluntas divina? Ubi vero illa est revelata? ubi ulli spiritui vis cogitandi a Deo denegata? Et quid? Num spiritum simul cū corpore animali interitum credas? Absit! nobilior longe est substantia, quam quæ corpori pro sale sit, ne putrefaciat. Annihilari spiritus potest, non mori: illud extraordinarium potentia divina opus est. Sed missam facimus hanc litem, & è diverticulo in viam redimus.

§. III.

Ad genus animæ pertinent, quæ à nobis hactenus allata sunt, coetera definitioni inserta differentiam constituunt. Dicitur autem anima *unita cum corpore*, non artificiali (qualia sunt automata, ad imitandum formam & actiones animales affabre ac ingeniose constructa, nec raro simplicioribus habitum duntaxat exterrum spectantibus imponentia) sed naturali organico, non tam promiscue qualicunque, sed specialius humano, à brutorum cor-

corporibus miris modis distincto. Unio ipsa non est accidentalis; neque enim duæ substantiæ in essendo completae accidentaliter & parastaticæ conjunguntur, unumque per accidens constituant: Sed est naturalis s. essentialis, siquidem duæ naturæ incompletæ naturaliter junctæ unam naturam completam, nempe humanam, efficiunt. Evidet B. Sturmius *Phys. Erotem.* p. 609. unionem hanc diserte accidentalē vocat; animam enim definit, quod sit substantia cogitans finita, & cum corpore quodam organico, quod humanum dicimus, accidentaliter unita. Cujus asserti hanc c.l. rationem reddit: *quia a corpore anima non essentialiter & perpetuo in quovis casu, sed accidentario, dependeat; quamdiu Summo Numini placuerit, b. e. quamdiu corpus ita dispositum fuerit, ut mutuum illud commercium inter ipsum & mentem ipsi arbitrarie unitam exerceri, continuarique posse.* In hoc vero laudat. Viro non adstipulamur. Licet enim in multis actibus à corpore non dependeat anima, neque etiam perpetuo cordori commercio jungatur: nihilominus cum anima per se & sua natura ad id divinitus determinata sit, ut cum corpore organico unita, naturam humanam completam reddat; unio ista potiori longe jure naturalis s. essentialis, quam accidentalis appellanda est; idque tanto magis patet, si notabile, quod inter utramque intercedit, discriminem observetur, quod tradit *Donat. Metaph. c. VI. §. 30. 33.*

§. IV.

Vinculum, quod substantias diversissimæ naturæ, spiritum quippe & corpus, arctissime conjungit, explicatu perquam difficile est. Multi, ubi ad hanc partem ventum, tam subtiliter & obscure philosophantur, ut, quid de re tam ardua illis videatur, vix conjectando satis assequiliceat. En nobis vel solum *Honor. Fabri*, Virum coetera doctissimum, ingenio nulli secundum, Peripati nomen honorifice, non tamen, ut coeca Scholasticorum turba solet, superstitione colentem! Is cum *Tract. de Hom. L. VII. Prop. LI.* fusius de corpore cum anima unione differuisse, tandem velut in compendio suam de ea mente traditurus concludit; *His omnibus suppositis, scilicet coëxistentia utriusque, compet-*

metatione, vel intima presentia, absentia alterius natura unita; id est, de fungentis munere forma in corpore, dispositionibus requisitis, summa, quae a primis qualitatibus petuntur, tum ita, que in tali fibrarum plexu, compositione, nexus posita sunt; item nexus vel alligatione locali, decreto denique Dei, quo concursus largiri decrevit, his, inquam, omnibus postis, unionem resultare ac esse, necesse est. Sat verborum quix vero num ullum distinctum de anima & corporis unione conceptum gignant, ambigo. Sunt, qui corpus inter & animam medium quandam substantiam, unionis negotio perficiendo aptissimum, effingant: Sed hæc opinio omnium est absurdissima. Ens enim inter spiritum & corpus medium, participans utriusque naturam, chimæra est, ut cordate judicat *Summe Rever. noster D. Cyprian. Disp. III. de Partium Hom. Essential. numero, §. XLIII.* Aut enim talismodi, quam communiscuntur, & medium appellant, substantia extensa est, partesq; extra partes habet, aut non? Si prius, corpus est; si posterius, spiritus est, tantum non datur. Alij alia via incedunt, & cum *Anton. le Grand. Insti. Phil. P. IX. c. III. & Ludov. de la Forge. Tract. de Mente Hum. c. XIII.* rem optime confici posse, nbi persuadent, si dicatur, conjunctionem mentis & corporis consistere in mutua dependentia ac relatione actionum & passionum ad se invicem, qua corpus in motibus suis dependeat à mente, & mens in operationibus suis vicissim a corpore. Ast nec mutuo hoc actionum passionumque commercio acquiescere licet; siquidem non fons & principium est unionis, sed ejus saltem consequens: uniri prius naturæ debent, quam in operando invicem concurrant. Sed nec iis assentimur, qui vinculum unionis faciunt spiritus vitales per totum corpus diffusos, quantumvis enim tenuissimam & subtilissimam eorum substantiam dicant, veritatem corporis, eo quod extensi sunt, rationem habent: quomodo vero corpus spiritum, qualis est anima, afficere, & alii corpori devincire possit? Cum igitur tot adductæ hypotheses premantur difficultatibus, necessitas poscit, ut paulo altius tam admirandæ unionis originem repetamus. Ea autem nobis cum *Excell. Dn. D. Bergero Tract. de Nat. Hum. L. I. c. I.* sedet opinio,

De

Deum corpus & animam, absque ullo interveniente vinculo & velut glutine, conjunctionis capacem condidisse, ut immediate copulari possint. Equidem indignum judicant curiosi rerum naturalium speculatores, causas secundas temere negligere, & in quovis casu, ubi phœnomenorum ratio danda, merum solummodo voluntatis divinæ arbitrium allegare; cum hoc modo valde compendiosa futura esset Physica nostra: Nihilominus tamen sicut in creationis, & hodiernum in generationis negotio multa rationi minus evidentia in sapientissimam præpotentis Numinis dispositionem resolvi debent.: Ita vitio nemini verti potest, si miraculosam substanciam immaterialis cum materiali unionem, nulla ratione naturali demonstrabilem, ad causam primam immediate referat.

S. V.

Dicitur præterea in definitone animæ, *quod efficacissime illa operetur in corpore humano.* Quasnam autem operationes edat, num rationales & intellectuales ac voluntarias, an vero simul & animales, de eo acriter disputatur. Nobis prius veritati maxime consentaneum videtur. Etenim cum pleraque actiones animales v. g. concoctio ciborum in ventriculo, circulatio sanguinis, augmentatio corporis, generatio foetus in utero materno, affectuum motus & impetus &c. fiant inscia ac saepe invita anima rationali, non apparet, quomodo haec pro earundem causa & principio haberri possit. Accedit, quod animales istiusmodi operationes, eo quod materiales sunt, materiali quoque principio originem suam necessario debeant, aliunde igitur, quam a mente, quæ tota immaterialis & incorporea est, arcessenda. Sic vero, ait, multiplicandus erit animarum numerus, & ad ternarium fere dilatandus? Una nempe præcrit nutritioni & augmentationi: altera sensationem largietur: tertia, intellectionem & volitionem efficiet? certe hoc ex professo tradidit Hundsbagen Tract. sing. de Pluralitate Animarum in homine: & Zeisold Tract. de Anima Scđ. I. Art. III. Punct. 2. quibus cum aliis multis adstipulatur B. Sturmus Phys. Erotem, Part. Specialiss. Scđ. Posler. Art. Sec. c. II. Phys. Concilia B.

Part. specialis. S. P. c. I. Quod si quis autem omnino multiplicationem animæ horreat, licebit abstinere tam odioso numero, & ita simpliciter pronuntiare, ut dicatur, duplex actionum in homine sese exerentium dari principium, alterum immaterialis, quod mens appellatur, cui soli honorificus animæ titulus reservetur: alterum materiale, immaterialis in quibusdam, non vero in omnibus actibus subordinatum & obnoxium. Consentit nobiscum ingeniosiss. du Hamel de Corp. Anim. L. I. C. VII. §. 17. in hoc tamen ab eo discessum facimus, quod existimet, principium, quod diximus, materiale a mente, ceu altiori eoque incorporeo ac immateriali principio, in omnibus dependere, nec se ad agendum, citra ejus influxum, determinare posse. Contrarium siquidem totum secretionis animalis negotium, quo chylus, lympha, sanguis, generantur, & per corpus diffunduntur, ejusque nutritioni inserviunt, quin & alia complures, quas vis vegetans & sentiens, insciente & vel ~~relinquente~~ anima rationali producit, operationes clarissime evincunt. Motus quidem exterinos corporis organicae majorem partem imperio ac regimini mentis subesse, largimur: sed interiora corporis mens ægre pervadit, tantum abest, ut singula pro arbitratu ordinare ac disponere valeat. Quid denique ultima definitionis animæ superioris adductæ verba sibi velint, cum diximus, animam cum corpore constitutæ totum individuum humanum, facile intelligitur. Exclusam nempe volumus sentiam partim Unitariorum, unam duntaxat in homine partem essentialiem admittentium, partim Tripartitorum, tres homini partes substanciales cum Comenio tribuentium; contra quos solidè disputat laudat. noster D. Cyprian, in tribus hoc de argumento hab. Dissert.

§. VI.

Præmissa sic explicata & vindicata definitione animæ, uberioris jam, quod caput rei est, despiceremus nos jubet instituti ratio: *Utrum recte anima dicatur esse tota in toto homine, & tota in qualibet parte hominis?* Cujus asserti acerrimos defensores ac propugnatores videas Honor. Fabri Tract. de Hom. L. VII. Prop. LII. Henr. Kipping.

ping. *Instit. Phil. Nat.* L. IX. c. IV. *Slevogt. Disp. I. de Ubiquit.* §. 44.
Hundesbag. Tract. de Pluralit. Anim. in Hom. c. III. *Jac. de Bak Dissert.*
de Corde. Sect. I. c. I. Goclen. in Exercitat. Scalig. p. 64. seqq. *Boucard. de*
Anima P. III. Theor. 4. & alios complures, quorum magnam nubem
adducit *Kipping. l. c.* Complectitur autem pervulgatum hoc axio-
ma, si in partes illud secare, & paulo clarioribus verbis ad men-
tem istorum Philosophorum eloqui libeat, binas distinctas affe-
tiones. Prior est, quod anima, rationalis puta (nam de hac sola
jam sermo est) sedem ac domicilium habeat non in certa dunta-
xat corporis humani parte, sed in omnibus omnino ejusdem par-
tibus ac membris: Posterior cum priori connexa hueredit, quod
anima, citra ullam sui multiplicationem, in cunctis membris orga-
niciis tota substantialiter existat. Sed enim veritas utriusque af-
fertionis quantumvis pleno in scholis quondam assensu probare-
tur, sua jam ætate *Pbil. Melanchtoni*, Viro à rerum divinarum ac
humanarum scientia instruētissimo, suspecta, & prægnantes ob-
caūsas, ceu commentitia, rejicienda videbatur, teste *Handes-*
bag. l. c. rejecerunt & alii, recentioris maxime ævi Philosophi; ita-
que & nobis licebit dubitationes nostras contra eam afferre.

§. VII.

Et primo quidem, quod anima rationalis substantialiter to-
tum corpus & singula ejus membra non inhabitet, quam eviden-
tissime ex eo colligitur, quia alias necessario consequeretur, singu-
la membra ratiocinari, intelligere, velle, eligere, quæ notissimæ
sunt animæ rationalis functiones. Jam vero neminem, opinor,
fore, qui humeris, manibus, pedibus ratiocationem, intellectio-
nem, volitionem, electionem adscribat. Hisce laqueis Dissentien-
tes variis sese extricare modis annuntiuntur, quam feliciter, &
quo successu, videbimus. Obvertunt alii, animam in qualibet
corporis parte inveniri quoad essentiam, non autem quoad po-
tentias. Ast cum potentia five facultates animæ ab ipsa essentia
animæ realiter non differant, non video, quomodo essentialiter
alicubi anima esse possit, ut tamen potentiae absint & excludantur.
Plus in recessu habere videtur, quod alii perhibent, animam esse

quidem in singulis membris secundum potentias, non autem secundum potentiarum actus; scilicet cum anima non immediate & solitarie operationes suas exerceat, sed ministerio corporis utatur, potentias tum demum in actum traduci putant, si organon aptum & praesenti functioni idoneum adfuerit, quo deficiente, animam, licet substantialiter presentem, operari non posse, ac proinde nec mirari quenquam debere, quod potentia cogitandi ac intelligendi nec in pedibus nec in manibus, quamvis intime hisce membris unita sit, sed solummodo in cerebro, utpote convenientissimo recipiendis phantasmatibus, & formandis speciebus intelligibilibus instrumento, se se exerat. Sed Resp. (1) Mens seu anima, quia actuosissimum principium est, & substantialis cogitans, ubi ubi est, ibi non potest non efficacissime operari, & vim cogitandi exercere, quantumvis cesseret usus externus sensuum. Quare si supponatur, animam esse in singulis membris, in singulis quoque membris eam reflectere & cogitare, magna cum absurditate dicendum erit. (2) Licet anima, quamdiu vinculis hisce corporeis constricta est, plurima mediate per organa corporis peragat: Id tamen non universaliter accipi debet, quasi omnis cogitatio, omnis intellectio & cognitione nostra a corporis machina penderet. Quoties enim mens confusa & vagabundaphantasmatum turbam se subducit? quoties reflectendo in semetipsam fecedit, ac unum ex alio profundiori meditatione colligit? Unde Peripateticorum Πολυδιόνιος: *Nihil esse in intellectu, quod non prius fuerit in sensibus*, non simpliciter concessum est Philosophis, & contra notabilis differentia inter cognitionem puram, quae ab anima immediate citra sensuum usum acquiritur, & impuram, quae ab organis sensoriis originem dicit, inculcata est. Conf. *Ludovicus de la Forge de Mente Hum.* c. X. §. XI. Concludo igitur, si anima rationalis quaslibet corporis partes substantialiter obfederit, in quilibet etiam parte actus rationales, eas minimum res concernentes, quae immediate absque ullo organorum sensoriorum adjuvamento, cognitione, quam vocant, pura percipiuntur, sedere censi-feri

(13)

feri debet: Atqui nemo, credo, unquam pedem manumve suam
ratiocinantem, intelligentem, cogitantem invenit.

§. VIII.

Præterea si anima rationalis in toto corpore sedem fixisset,
totius quoq; corporis absolutum dominium ac regimen exerce-
ret, omnesque functiones animales vel ipsa administraret, vel suis
auspicis administratas moderaretur: Jam vero tantum abest, ut
ad nutum mentis singula corporis membra intenta sint, ejusdem-
que imperio se subjiciant, ut plurimas actiones illius ingratissimam
ediri videas. Mirum fane, animam substantialiter, ut volunt,
toti corpori inesse ac præsidere, & pleraque tamen, quæ in cor-
pore geruntur, ignorare. Quod anima sensitiva in brutis, quam-
vis efficacissime operetur, suarum nihilo fecius operationum sit
ignara, non miror, siquidem ista, utpote materialis, super actio-
nes & passiones suas reflectendi vim non habet. Ast mente, substan-
tiam quippe spiritualem ac intelligentem, quis credat coe-
co pariter impetu, absque aetibus reflexis, interiora corporis ani-
mare, regere ac gubernare?

§. IX.

Quo altius rem omnem perpendo, hoc magis in sententia
mea confirmor. Anima sane rationalis ubicunque est, ibi & o-
peratur: Sed in venis, in intestinis, in ventriculo, in utero, plu-
ribusque aliis membris non operatur: Ergo nec ibi esse, presu-
mi potest. Major propositio multa probatione haud eget, n̄ ve-
lis dicere, animam aliquibus corporis partibus, citra ullam ope-
rationem, ceu otiosum spectatorem, præsentia simplici adesse.
Quod vero in minori venis, intestinis, ventriculo &c. ullum
cum mente commercium intercedere negavimus, illud jure fa-
ctum, nemo non agnoscat, qui ponderaverit, motus horum simi-
liumque membrorum non voluntarios, sed necessarios esse, qui
nulla vi cogitandi adjuvari vel cohiberi possint; quamobrem eos
non ab anima rationali, ejusque facultate, vegetandi ac sentiendi,
sed à peculiari & distincto principio, sive illud abusive animam,
sive formam, sive potentiam substantialiem nuncupes, pendere.

superius' jam cum *Hamelio & Sturmio* tradidimus. Plures, quæ tamen maximam partem levioris sunt momenti, pro destruenda essentiali animæ in toto corpore præsentia, rationes invenias apud *Derodon*. *P. II. Phys. Contr. c. V. Art. 4.* *Bodin. Theatr. Nat. p. 509.* seqq. *Tipl. L. II. System. Metab. c. V. Quest. 6.*

§. X.

Quodsi ergo anima non est, ut hactenus evictum, in toto corpore, in qua igitur tandem parte hospitatibus, & propriam sedem constituisse, existimari debet? Num in corde? ut putant Peripateticorum haud pauci: Num in centro corporis? quod si bi persuadet *Jo. Bapt. van Helmont Tratt. de Sede Anima.* At in sanguine? quam sententiam fovere videtur *Guil. Harvey L. de Generat. Animal.* (*Conf. dissert. Casp. Posneri de Princip. Partium in Corp. Anim.*) Minime! Sed judicio *Celebratiss.* Iujus ævi Medicorum ac Physicorum (è quibus *Duumviro Clariss. fulgentissima Witteberg.* Acad. Lumina, *Dn. D. Bergerum Tratt. de Nat. Hum.* p. 330. seqq. & *Dn. D. Vaterum Physiolog. Sect. VII. c. II. Quest. IV.* nominaliter sufficiat) in Cerebro, ob nobiliores & diviniores functiones suas cum primis suspiciendo; quod proin sapientia domicilium, memoriarum, judicii & cogitationum officina appellatur *Andr. Laurentio,* Professori Medico in Academia Monspelliensi, *L. I. Quest. IV. Hisp. Anatom.* Quomodo autem anima in Cerebro & speciatim ejus centro ovali vel meditullio sedeat, ibidemque officio suo fungatur, & oœconomiam corporis administret, de eo audiamus ingeniose differentem laud. *D. Berger. l. c. p. 332.* Cum varie sint, inquit, partes cerebri, cum nulla exercendis sensuum operationibus apitor haberet, potest illa, qua corporis calloso, centrique ovalis nomine danta, quedam est congeries & complexus fibrarum albentium, aranea reticulissima vincentium stamina, atque ex arteriis partis cinereæ vel vascu-losa egredientium, qua ab Opifice summo mirabiliter colligata, & fibris muriu conservata, centrum illud & meditullium cerebri contexunt, inde que ulterius productæ, atque in varios collectæ vasciculos, ex illo fibrarum fascie, quem *medullam* appellamus oblongatam, nervorum nomine in omnes corporis partes deducuntur, hasque cum meditullio cerebri,

1413-

tanquam stirpe, eo artificio copulant; ut à levi istu & agitatione illarum fibrarum motus illico vegetus in sensorio communi excitetur, nevaro inde mox motus alii per nervos alios, ad extra atque ad musculos tendentes, resiliens, nra quidem & arbitrio mentis plerunque, interdum vero illa eriam minus attende. Quamobrem illam cerebri partem, ubi mens opere nervorum ab omnibus membris affici, quaque adeo geruntur in corpore, cuius dominarum tenet, sublimis conturi, & vicissim quosdam illius motus, quos ideo voluntarios dicimus, regundo, in corpus agere potest, merito sensorium interiu & commune, sensum vero illam mentis operationem jure appellamus, qua ea rerum sensituum impressio-nes, atque inde orientes organorum motus opera nervorum, hosque rigantis succi ministerio, in illo cerebri meditullo percipere & cognoscere potest, ergo eminenti dignitati beati eti quoque apud nos tamquam eti sibi etiam in uno sup. §. XI.

Nunc potiora Adversiorum argumenta in scenam producere, & ad veri statuam expendere libet. Henr. Kipping, existentiam animæ rationalis in toto corpore humano & singulis ejus membris clare, ut putat, demonstraturus, formaliter ac syllogistice procedit; Inst. Phil. Nat. L.IX. c. IV. §. 2. Sic (1.) concludendo: Nulla forma substantialis operatur, nisi ubi substantialiter praesens est: Atque omnia vera pars animalis habet operationes alias animæ: Ergo omnia vera pars animalis habet sibi animam substantialiter praesentem. (2.) Omnia forma informans permeat totum compositionem, & singulas ejus partes: Anima rationalis est forma informans hominem: Ergo permeat totum compositionem & singulas ejus partes. (3.) Quodcumque est in toto subiecto informationis, illud eriam in singulis ejus subjecti partibus est: Anima rationalis est in toto subiecto informationis: Ergo etiam in singulis ejus subjecti partibus inest. Enim vero omnis pene haec argumentatio falla inititur hypothesi, ac si una eadem que numero anima, quæ rationalis vulgo dicitur, omnia & singula in corpore nostro munia obiret, triplicemque vim, intellectivam, nempe, vegetativam & sensitivam, exerceret. Contrarium pridem Cordatiiores agnovere, & nos illud uberiorius in antecedentibus persecuti sumus. Habet sane principium immate-

riale, s. anima rationalis, quod agat, habet & principium materialis, substantia nempe vegetans & sentiens, peculiares suas functiones, utrumque ut numero, natura & operationibus, sic etiam loco & sede distinguitur. Illud in cerebro, seu proprio hospitio, divertit, hoc per totum corpus diffusum est. Admitti proinde non potest, quod *Kipping* statuit, animam rationalem totum corpus informare, & per singula ejus membra, velut instrumenta sua, operari. Plurima equidem membra, cum primis locomotiva, menti parent, & ad illius nutum partes suas exequuntur, quantumvis operandi facultatem non ab ipsa immediate nascantur, sed ab alia causa inferiori, mentis regimini aliquibus, in actibus & motibus, quos voluntarios ideo appellamus, subdita: Dantur tamen partes corporis, ad internam maxime ejus straturam & compositionem pertinentes, quae omni mentis imperio exsoluta, ea inscia & sapientia invita, munere suo, ad quod divinitus ordinatae sunt, funguntur, & propterea pro organis ac instrumentis animæ rationalis haberri non possunt. Sit insuper mens forma corporis informans, sed non una, non solitaria, non adæquata. Denique manifestam petitionem principii committit *Kipping*, cum ex eo, quod anima rationalis habitat in toto corpore, colligit, eandem omnibus quoque membris ac partibus inesse. Illud enim *νεύρωμα* est, num animæ habitaculum haberri debeat universum corpus organicum: mirum igitur, pro principio & concludendi fundamento assumi, quod in quæstione est, & præcipuum litis partem constituit.

S. XII.

Quid Honor. Fabri, cui pariter anima rationalis in toto corpore organico collocanda videtur, supra jam eo nomine nobis notatus, pro se adducat, ipsissima ejus verba dabunt: *Anima, inquit, coextenditur toti corpori, & omnibus ejusdem parsibus, que communis cum illo vita gaudent.* Quod facile probatur, quia cum anima constituerit esse hominem, haud dubie informat, quicquid ad idem esse pertinet. Demus enim v. g. in solo capite esse; igitur manus ad hominem esse non pertinet, nec est pars ejusdem esse, cum anima, qua et totum illud es-

se

se dat, in manu non sit. Præterea nulla est pars hominii, cui aliqua potentia vitalis non insit: Sed ubi est potentia, ibi est forma, cuius est, ut patet; denique cur potius in una parte, quam in alia esset? *Tract. de Anim. Ration. L. VII. Prop. LII. §. 2.* Sed nec hæc Fabri, Summi Philosophi, argumenta, licet speciosa videri possint, tanti esse momenti judicamus, ut sententiam nostram destruere valeant. Lustrabimus ea signatim. Et primo quidem *anima* extensa vel coextensa corpori dicitur: quippe in animam, seu spiritum, extensio, quæ partes extra partes ac adeo materialitatem supponit, non cadit. Secundo, ex eo, quod anima rationalis esse hominis constituit, male colligitur, illam omnibus quoque partibus inesse, quæ ad integratatem corporis pertinent. Nullus enim hic nexus! nulla sequela! Et perinde est, ac si quis ita concluderet: doctrina constituit esse hominis doctri; Ergo doctrina existit in omnibus membris hominis doctri, ergo etiam in manu, in collo, in pede &c. Ad constitutionem hominis non plus requiritur, quam ut anima cum corpore organico intime uniatur, hæc vero unio ut in unoquovis præcisè corporis membro immediate & substantia-liter fiat, necessum non est. Tertio, nullam esse partem hominis, cui aliqua potentia vitalis non insit, largior, vim autem concludendi nullam video, quod propterea statuendum sit, nullam dari partem hominis, cui non anima rationalis insit. Sed ubi potentia est, ibi est & forma, cuius est? haud nego; ostendatur autem prius, potentiam vitalem pro facultate animæ rationalis habendam esse. Ipse Hon. Fabri eandem distinctum, licet minus principia rationaliique animæ subordinatum principium appellat *I. c. Prop. III. & IV.* Quamvis, quod indicium malæ causæ est, hic se valde impliceret, nec sibi satis constare videatur acutissimi coeterum ingenii Philosophi. Nunc enim Animam rationalem ut formaliter sensitivam & vegetativam sibi concipit: nunc potentiam vegetandi ac fentiendi diversum principium, quod rationali solummodo obnoxium sit, nominat; quæ sane ægre conciliabis. Urgemus præterea: Si anima rationalis ibi est, ubi potentia vitalis est, pilis quoque, unguibus, humoribus, & cum-

primis sanguini eam inesse, haud injuria diceres, quippe in quibus principium vitale vim suam pariter exerit. Ast posterius, ipsius Fabri iudicio, absurdum est; quare ut se quodammodo extriceret, & labanti hypothesi suppetias ferat, partibus recensitis potentia vitalis effectum audacter denegat, & nescio quam singularem plantarum vitam affingit. En ipius verba: *Anima rationalis omnibus inest partibus, qua ad esse hominis pertinent, componunt corpus humanum, sive illae sentiant, sive tantum vegetent; hinc anima inest ossibus, que revera vivunt. Atque non sentiant, & vero sunt ossa hominis, eorumque usum potentia sentiens ac motrix adhibet: Siqua autem homini insit, qua illius esse non constituant, sed sint vel ad ornatum, ut pilii, vel ad defensionem, ut unguies, vel ad excrementorum excretionem, ut calli, verrucæ &c. hec baud dubie singulari vita vivunt, plantarum scilicet, in carnis solo pullulantur; ac proinde iis anima rationalis non inest: hinc licet tondeantur ac resecantur, homo utilari non dicitur, ut patet.* *Anima quoque humoribus non inest, sive excrementitiis sint, sive alii ad sustentandam hominis vitam à natura destinati, ut sanguis: nec enim sanguis vivit: idem dico de spiritu, balitu, vapore, qui caloris vi ex humore rarefacto assurgit;* Hæc Fabri l. c. §. 3. Verum enim vero si tantus honor ossibus habetur, ut de possessione animæ rationalis participare dicantur, cur non multo magis ea prærogativa sanguini, nobilissimæ substancialiæ, conceditur? Cur non & unguibus, pilis, verrucis? Sed vivunt hæc vita singulari plantarum? qualis, quæso, est illa, quam singularem appellas? Gratis adstruitur alia, quam quæ à communi principio vitali ortum habet. Quod si igitur anima rationalis in omni corporis parte, cui potentia vitalis inest, locanda fuerit, recensitæ modo partes pro communi quoque ejus sede & habitaculo agnoscantur, necesse est: vel si consequens falsum est & absurdum, ut revera est, antecedens pariter, quod amplectitur l. c. Fabri, rejiciendum erit. Quarto deinde causa, quam sibi Philosophus dari postulat, cur anima rationalis potius in hac, quam in illa aut ista corporis parte poni debet; in promtu est, quia una pars magis, quam altera, apta est ad exercendas animæ functiones; quin & complures alias ratio-

nes

nes prægnantes superius dedimus, quas hic ad nauseam repete-
re non libet. Quæ præter allata in contrarium à reliquis Anta-
gonistis adduci solent, exigui fere ponderis sunt, quibus proin di-
stineri nolumus; vel si qua omnino ulteriorem limam merca-
tur, ea conflictui publico reservabimus.

§. XIII.

Destructo jam prioris axiomatis paradoxi membro, ac e-
stensio, quam incongrue anima rationalis dicatur esse in toto cor-
pore humano: nunc posterioris membra e priori fluentis incon-
venientia tanto dilucidius apparebit, cum nempe anima statuitur
esse tota in qualibet parte corporis. Etenim si anima est tota in
capite, tota in manibus, tota in pedibus, tota in reliquis membris
sigillatim spectatis, non habebimus unam, sed plures animas, imo
tot animas, quot membris constat corpus nostrum. Evidem
Deus, quod exemplum forsan opposueris, citra ullam sui multi-
plicationem, totus simul in omnibus ~~z~~ existit: Ast à spiritu in-
finito, qui, replendo omnia ubi, prorsus ubique est, ad finitum ar-
gumentari, est inconsequens. Deinde si anima tota simul uno-
que momento est in pluribus membris loco ac intervallo distin-
ctissimis, qualia sunt v. g. vertex capitis, & planta pedis, anima
uno eodemque momento in pluribus erit ubi: Atqui nec omni-
præsentia, nec multipræsentia in spiritum finitum cadit. Quid?
quod nobilior hoc modo anima esset, quam substantia angelicæ.
Angelus certe, cum hic est, non est alibi, nec simul bina dissita lo-
ca vel ~~z~~ essentialiter implet. Quo pacto igitur tanta excellen-
tia & prærogativa animabus vindicari possit? Nihil est, quod ~~Kip-~~
~~ping.~~ i. c. regerit membra corporis non esse disjuncta, sed con-
nexa sine intervallo, alterum membrum esse extra alterum, sed
non citra alterum. Quamvis enim cohaerant partes corporis
& sint continuum quoddam: non omnes tamen uno loco, vel fal-
tem non una parte loci subsistunt. Datur insigne omnino inter-
C 2 val-

vallum inter caput & pedes, inter brachium dextrum & sinistrum,
sive proin unum membrum extra, sive citra aliud ponatur, non-
dum modus solvit; sed anima, quod *Timpler.* l. c. observat, in-
diversis dissitisque hoc modo locata partibus, velut extra se ipsam,
vel extra essentia sua fines præpostere constituitur.

S. XIV.

Denique haud obscuram tritum Axioma contradictionem
involvit. Siquidem animam rationalem, ajunt, esse totam in to-
to corpore, id est, in omnibus membris corpus humanum com-
ponentibus conjunctim sumtis: sed eandem simul effundunt to-
tam in qualibet corporis parte, id est, in membris humanis leor-
sim ac sigillatim spectatis. Quae binæ assertiones vix se invicem
tolerant. Conciliationem tentat *Hundeshag.* l. c. §. 19. distin-
gendo inter subiectum informationis adæquatum & inadæquatum.
Quod fusius persequitur *Fabr.* l. c. §. 4. *Animæ* est, ait, *tota*
in toto corpore, & tota in qualibet parte, id est, cum anima sit indivisibilis,
tota quidem uni parti corporis inest, sed non totaliter, id est, tota illi inest,
sed inadæquate, id est, non tantum illi, sed etiam aliis. *Analogiam*, ad-
dit, *babes in puncto physico raro, quod denso quidem coextendit, sed in-*
adæquate; sic *punctum physicum curvum tangit planem secundum se to-*
tum, sed inadæquate; *idem* dico de instantibus physici inæqualibus, *idem*
de Angelo. Sed nondum omnis repugnans sublata est. Quod
enim toti corpori seu omnibus membris simul sumtis compet-
tit, illud singulis leor sim acceptis totum, ut patet, adscribi ne-
quit. Si igitur totum corpus totius animæ, ut volunt, recepta-
culum est, quomodo igitur, sodes, & pars corporis totam conti-
nere animam, citra contradictionem, dici potest. Allata inter
subiectum informationis adæquatum & inadæquatum animæ dis-
tinctio si vel maxime admitteretur, non aliud evinceret, quam
quod in uno membro non omnes functiones suas exerat anima
rationalis; si tamen nihilo feciis anima secundum essentiam tota
collocetur in toto corpore, & tota simul secundum essentiam in
qua-

qualibet parte corporis, remanet adhucdum prior dubitatio, & quam arguimus, contradic̄tio. Quod tandem, illustrationis gratia, de puncto physico adducitur simile perobscurum est, & nescio, num rem magis explicet, an implicet; cum primis quod decens ad pr̄sentem materiam applicatio ab Auctore non adjecta est.

§. XV.

Sed colligunt Antagonistæ vires, novumque in nos imperium moluntur, ac omnem simul elabendi occasionem calide praeficiunt, antequam hoc nos dilemmate stringunt: Aut anima rationalis extensa est per totum corpus? Aut est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte totius? alterutrum invictæ veritatis est: non prius; quia anima, seu spiritus, eo quod est indivisibilis ac imparabilis, omnem simpliciter extensionem respuit: Ergo posterius immoto stat fundamento. Imo vero datur tertium! quale est illud? quo itaque modo anima est in corpore nostro? positive modus exprimi & determinari non potest. Miraris & pene indignaris, positivum a nobis responsum declinari? sed desines mirari, pauloque mitius nobiscum, ubi primus deferuerit existens, ages, si recorderis, quam exigua & manca sit nostra de spiritibus, in quorum censem & anima rationalis venit, scientia, quandiu mens nostra vinculis hisce corporeis constricta est. Dic, quæso te, prius, quem positivum tibi conceptum de spiritu formes, & tum modum pariter, quo animæ spiritualis essentia corpori insit, determinabimus. Spiritus, ait, est substantia incorporea? Nondum acquiesco: conceptus hic mere negativus est; neque enim exprimit, quid spiritus sit, sed quid spiritus non sit. Eni igitur aliam definitionem: Spiritus est substantia cogitans? Ne sic quidem rem conficias; etenim, ut alia taceam, materia quoque virtute divina elevari potest, ut vim cogitandi exerat. At durum, inquis, & nescio, an possibile menti mole corporea oppressæ, spiritum positive concipere? largior, tecumque difficultatem rei ingenue agnosco & profiteor. Quid vero, si natura

ra

A sp̄it̄us hominē latet, impetuosiō nos ūrges, ut rationē & modū, quo anima, quæ & ipsa sp̄it̄us est, in corpore existat, positivis terminis exponamus? Ne id quidem capimus, quomo-
do anima in corpus, & corpus vicissim in animam agat; eo quod diversissimam utriusque essentiam & contrarias plane qualita-
tes deprehendimus; tantum abest, ut modū quisquam præ-
sentia animæ in corpore humano determinare valeat. Nonne
satius fuerit, in re hæmispherii humani limites transcendentē in-
scitiam suam modeſte profiteri, quod hoc casu nemini probrosum,
quam cum ratione insanire, & nescio quod inanum vocalarum
& formularum ignorantia ſuę velum obtendere. Liquidiori hic
demonstratione opus est, non conglomeratione quorundam vo-
cabulorum ſenſu parentium, & à natura rei abhorrentium. Mu-
lta in physicis, multa in Pneumaticis mentis nostræ aciem sub-
tersugiunt, & adhucdum involuta jacent. Quantumvis igitur
modū adſentia animæ, ceu ſpiritus, in corpore humano po-
ſitive concipere, nedum claris verbis definire, haud posſimus (ſed
nec quemquam alium posſe, plane nobis perſuafum habemus).
Satis tamen est, quod remotive procedentes, firmiſſimiſ ad li-
quidum perduxerimus argumentis, Animam, ut non eſt in cor-
pore toto, ita nec totam eſſe in qualibet parte corporis.

Et hoc erat demonstrandum.

ADDITAMENTA.

I.

A nimæ ſpiritualitas & immortalitas ex lumi-
ne naturæ apodictice demonstrari non pot-
est. Faciunt huc verba Senecæ: Multa ſunt,
quæ eſſe concedimus, qualia ſint, ignoramus.
Habere nos animum, cuius imperio & impelli-
mūr

mur & revoçamur, omnes fatebuntur: quid
tamen sit animus ille rector dominusq; nostri,
non magis tibi quisquam expediet, quam ubi
sit. Alius illum dicer esse spiritum, alias con-
centum quendam, alias vim divinam & Dei
partem, alias tenuissimum aërem, alias incor-
poralem potentiam. Non deerit, qui sanguinem
dicat, qui calorem. Adeo Animo non
potest liquere de cœteris rebus, ut adhuc ipse se
quaerat; L.VII. Nat. Quæst. c.24.

In Animam cedit compositio, scilicet non physi-
ca, sed metaphysica.

Ortus animæ valde dubius est, &c, quo eunq; mo-
do explicetur, multis difficultatibus obnoxius,
adeo ut nihil certi in hoc negotio vel a Tradu-
cianis, quos vocant, vel a Creatianis definiri
possit.

IV.

Cum ~~τερπτον δικτυον~~ peccati sit anima, non corpus;
quaeritur, an accurate loquantur, qui dicunt, ra-
dicem peccati tolli in cœfactione?

Ani-

V.
Anima non est extensa, sed omnis quantitatis ex-
pers, non habens partes extra partes.

VI.


Meteorū Pythagorica valde ridicula est, & ipsis
sanioribus Ethniciis improbata.

VII.

Præter animam & corpus pars terria essentialis in
homine non datur.

VIII.

Monstrosa est opinio Burseri, quod scribit L. III.
Instit. Phy. c. 3. animæ partem aliquam refelli
una, cum membrum aliquod viventis corpo-
ris amputatur, & corrumpi, donec postliminio
restituatur, & velut nova reproducatur, tunc
cum Deus reddet animæ corpus suum in resur-
rectione universalis.



ULB Halle
003 620 00X



3

5b,

VD

17





DISPUTATIO PNEUMATICO-PHYSICA,
QVA
VERITAS COMMUNIS ASSERTI:
QVO

A N I M A
DICITUR ESSE TOTA IN
TOTO CORPORE, ET TOTA
IN QVALIBET PARTE CORPO-
RIS, ECLECTICE EXPENDITUR.

ET
SUB PRÆSIDIO
DN. M. HENR. LUDOVICI
WERNHERI,

SS. Theol. Baccalaurei, & Facult. Philo-
soph. Aestetoris,

IN CELEBERRIMA LIPSIENSIS ACADEMIA,

Die XV. Maji, A. O. R. MDCCVI.

Publico Examini s̄sistur

AB' AUCT. ET RESPONDENTE

JOHANNE GOTTLÖB PETRI,

Gubena-Lusat. SS. Theol. Stud.

L I P S I Å,
Literis VIDUÆ BRANDENBURGERI